

*NOTA.* Cum diversæ sint species hujus morbi, ad iudicium Medici pertinet, quæ nocere possint matri & proli. Quamvis enim uxores se obligare debeant ad subeundas difficultates partui intrinsecas etiam cum periculo vitæ; non tamen per contractum matrimoniale se obligant ad quascunque miseras, v. g. morbi contagiosi, infamiae, egestatis, statui conjugali extrinsecas.

Vide *Adulterium, Divortium, Votum.*

## DECANUS.

1. Decani nomine intelligimus eum, qui primam Capituli dignitatem obtinet; licet quædam sint Capitula, in quibus Decanatus secunda tantum est dignitas. Jus antiquum tantum meminit duarum dignitatum, nempe Archidiaconatus & Archipresbyteratus. Decani fuerunt substituti Præpositis, quorum erat administrare bona Capituli; Decanorum autem potestas fuit alligata ad regimen spirituale. In Capitalis a Jurisdictione Episcopali exemptis Decani tanquam Pastores jus habent omnibus, qui sunt de gremio Capituli, Sacramenta administrandi, eosque sepeliendi. Decanus intra annum a die pacificæ possessionis Sacerdotio debet initiari sub pœna nullitatis Provisionum suarum. Dum recipit Provisionem suam, debet esse Doctor, aut saltem Licentiatu Theologiæ aut Juris Canonici. Si Decanus non est Canonicus, non habet jus præsidendi Capitulo, dum in eo agitur de re œconomica & administratione temporalium, sed solum dum agitur de correctione morum & disciplina Ecclesiastica. Decanus potest corrigi a Capitulo; ad citationem autem ejus opus est licentia Episcopi.

2. Inter Decanatus alii sunt pure electivi, & alii *electivi confirmandi*, qui in Curia Romana resignari possunt *in favorem*; jure tamen electionis remanente penes Capitulum in casu, quo per mortem vacat Decanatus resignatus.

3. Decanatus aliæque dignitates Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum declaratæ fuerunt immunes ab Indultis & omnibus aliis gratis expectativis, ne ipsis quidem Graduatibus exceptis.

CASUS I. Uratislaus Decanus cujusdam Ecclesiæ Collegiatæ a Rege de suo Decanatu provisorius, ejusdem possessionem adiit, functionesque eidem annexas obiit, non obtenta prius ab Episcopo Dicecesano approbatione seu *Visa*.

R. Ex sola provisione Regis non potuit valide exercere functiones parochiales. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Caspar vir nobilis, Decanus aut Præpositus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis solus & exclusivus aliis dignitatibus participat in omnibus juribus, emolumentis ac privilegiis Canonicorum, & deductis omnibus impensis annuus redditus habet 500. florenos. A Capitulo provisorius de præbenda quadam vacante, ejusdem possessionem adit, ut nobilitatem suam sustineret. Qua de re movetur ipsi scrupulus; eoquod jam prius dignitati suæ annexus esse Canonicatus supponeretur, sine quo, & solum qua Decanus omnibus emolumentis Canonicorum gaudere non posset. Caspar provocavit ad exemplum duorum prædecessorum suorum intermediarum, qui electi aut per resignationem provisi fuerant, dum actu erant Canonici.

R. Si Caspar evidenter probare non possit, nullam dignitati suæ Præbendam esse annexam, censere debet, esse aliquam annexam; & consequenter renunciare tenetur præbendæ, de qua noviter a Capitulo provisorius est. *Pontas.*

CASUS III. Charimundus Decanus vult resignare Beneficium suum nepoti suo viginti & unum annos nato.

R. Si Decanatus habet annexam curam animarum, non potest illum valide resignare. *Pontas.*

CASUS IV. Cledonius resignavit nepoti suo viginti annos & decem menses nato tertiam dignitatem, quam possidebat in Ecclesia quadam Cathedrali.

R. Episcopus potest resignatario denegare approbationem (*Visa*). Potest tamen cum eo dispensare circa defectum ætatis. *Pontas.*

CASUS V. Eventius Decanus aut Cantor vult resignare dignitatem suam Cognato suo.

R. Necessè est, ut hic Eventii consanguineus sit Graduatulus secundum consuetudinem Galliæ, & quidem sub pœna nullitatis provisionum ipsius. *Pontas.*

*NOTA.* Cum Decanatus de jure communi sit beneficium curatum relate ad suos Canonicos *qua tales*, resignare non potest in favorem sine dispensatione.

CASUS VI. Quam jurisdictionem habet Decanus Ecclesiæ Collegiatæ?

R. De jure communi habet jurisdictionem in totum corpus, & in singula membra, quorum caput est: & licet Episcopus sit Superior, Decano tamen & Capitulo potest competere jus corrigendi defectus Episcopi; sed hæc jurisdictione tantum extendit in leviores defectus, ut si immodestus sit



fit in Ecclesia, notabiliter negligens in servitio divino, commam longiorem nutriat, & id genus alia. *Fromageau.*

Vide *Dispensatio in Irregularitate. Cal. 1.*

## DECIMÆ.

1. *Decimæ* sunt tributum Deo debitum & consecratum, atque usui & sustentationi ministrorum Ecclesiæ destinatum. Opinio probabilior est, quod *Decimæ*, aut id, quod earum locum tenet, jure naturali ac divino debeantur, ut docent Patres & Concilia, nominatim Calcedonense, Constantiense & Tridentinum. Præstatio *Decimarum*, in quantum consideratur tanquam recognitio supremi dominii, quod Deo competit in omnia bona creata, est actus Religionis; in ordine autem ad sustentationem debitam ministris Ecclesiæ est actus justitiæ, vi cujus ab iis possunt exigi tam pro foro interno quam externo ab omnibus, qui ad eas obstricti, & per legitima ac approbata privilegia exempti non sunt, ut *Ciravallenses* & omnes *Monachi Benedictini*.

2. Plures distinguuntur *Decimarum species*, scilicet *Prædiales*, quæ denuo subdividuntur in majores, minores & novales, *Personales*, *Mixtæ*, *Ordinariæ*, *Extraordinariæ* & *Infeudatæ*.

3. Per *Prædiales* seu reales intelliguntur fructus agrorum ac pratorum, majoresque dicuntur, quæ percipiuntur ex frumento, secali, hordeo, avena, & aliis ejusmodi granis. Ad minores referuntur cicera, fabæ, rapæ, napi, lentes, milium, viciæ, linum, cannabis, aliaque ejusmodi grana ac legumina; debenturque hæ *Decimæ* solis Parochis, decimatoribus majoribus penitus exclusis. *Novales* sunt, quæ proveniunt ex fundo prius semper inculto, pariterque solis Parochis præstandæ sunt.

4. *Personales Decimæ* sunt, quæ solvuntur ex lucro per commercium aut laborem manuum acquisito. Discrimen inter *Decimas prædiales* & *personales* est, quod *prædiales* ex fructibus terræ integræ solvantur, non deductis expensis inculturam agrorum, ut ait *Innocentius III. c. 26. de Decimis*. *Decimæ* autem *personales* non debeantur nisi in lucro deductis expensis a lucrante factis, ut idem *Papa* explicat. In *Gallia* *Decretales*, per quas hæ *Decimæ* introductæ sunt, nunquam receptæ fuerunt; & consequenter nec *Decimæ* *personales* sunt in usu.

5. *Mixtæ*

5. *Mixtæ* dicuntur, quæ solvuntur ex fructibus pecorum v. g. agnorum, caprarum, porcorum & aliorum hujusmodi animalium; & hoc nomine veniunt ideo, quia participant quidpiam de natura *Decimarum prædialium*, & *personali*: nutriuntur enim hæc animalia frugibus terræ, & indigent insuper ad educationem industria humana. Observandum hic, quod *Parochi* non teneantur pro *Decimis* acceptare animalia ocyus a nativitate, sed afferri debeant jam ablactata.

6. *Ordinariæ* vocantur omnes, de quibus hucusque dictum est; solum quantitas earum diversa est pro diversitate provinciarum: quandoque enim *Decimator* recipit *decimam*, quandoque *decimam tertiam*, in non nullis locis solum *decimam quintam* aut omnino *vigesimalam* fructuum partem, prout nempe antiqua consuetudine introductum est. Sunt provincie, ut *Italia*, in quibus *Parochi* omnino non recipiunt *Decimas*, quarum defectus tamen suppletur per alias oblationes fidelium arbitrarias. In quibusdam locis penduntur *Decimæ* ex rebus, quæ in aliis *decimationi* non sunt obnoxie; ut nempe per usum stabilitum est, cui absolute nemo non conformare se debet.

7. *Extraordinariæ*, quæ simpliciter vocantur *Decimæ*, sunt, quibus ex consensu Summi Pontificis onerantur Beneficia proportionaliter ad eorum redditus.

8. De *Decimis* denique *Infeudatis* vide Responsiones ad casus sequentes: Sunt defacto ejusdem naturæ cum bonis secularibus, iisque Episcopi fruuntur.

CASUS I. *Parochiani* quidam *Parocho* suo, etsi aliam sustentationem non habenti, recusant solvere *Decimas*, idque vi antiquæ consuetudinis; etsi & ipse & prædecessores ejusdem eas semper petierint. Et hæc consuetudo particularis adversatur consuetudini universali totius Regni. Num ex hoc titulo *parochiani* excusari possunt a peccato mortali?

3. Consuetudo particularis, quantumque antiquitatis, opposita consuetudini integræ nationis non eximit a peccato mortali eos, qui secundum eam operantur. Ministrare suis pastoribus necessaria ad sustentationem vitæ ab omni populo habetur pro obligatione juris naturalis, ut docet *S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1.* Et certe eodem jure debentur *Decimæ* ministris Evangelii, quo debebantur ministris antiquæ legis, imo illis potiori jure ob excellentiam status ac dignitatis eminentiam. *Pontas.*

NOTA. De jure communi immunitas a solvendis *Decimis* præscribi potest.

*Dist. Cas. Consc. Tom. 1.*

E e

CA-



CASUS II. Datur aliqua regio ex pluribus magnis provinciis constans, in qua viget generalis consuetudo non solvendi Decimas Parochis, quamvis horum multi eas exigere voluerint.

¶. Non peccant Incolæ talium provinciarum, denegantes Decimas, male agerent Rectores Ecclesiarum, si in terris illis Decimas exigere. Ecclesiæ hujus Status, dum non exigunt Decimas, censentur eas ultro condonasse ad exemplum D. Pauli, qui, licet habuerit jus a suis fidelibus exigendi sustentationem, jure tamen hoc usus non est. Ex hoc principio D. Thomas eximit a peccato fideles Italiæ & regionum orientalium, qui Decimas non persolvunt. Nihilominus observandum, Orientales præstare quædam vestigalia per Justinianum introducta, & per Bullam auream Isaci Comneni stabilita. *Pontas.*

CASUS III. Marianus alia bona non possidet præter tria jugera vineæ, e quibus tantum collegit quinque dolia vini, quæ tamen non sufficiunt ad solvenda tributa, solvendos operarios in vindemiis, præstandas Decimas & alias expensas.

¶. Decimæ sunt privilegiatæ, & solvi debent ante omnia alia debita, etiam ante tributum Principis & mercedem operariorum; quia consistunt in fructibus provenientius a terra, cujus fecunditas est effectus bonitatis divinæ erga homines, ex quibus proin Deus publicam sui dominii protectionem in persona ministrorum sacrorum sibi fieri cupit. *Pontas.*

CASUS IV. Remigius pauper agricola nil bonorum possidet, nisi duo jugera agri, quæ nec partem quartam proferrunt pro necessaria sui & familiæ suæ sustentatione.

¶. In rigore loquendo Remigius tenetur Parocho suo, quantumvis diviti, solvere Decimas ex frumento percepto, nisi sit in extrema necessitate constitutus. Caritas tamen a Parocho requirit, ut in hoc casu Decimas a Remigio non exigat; non solum quia habet specialem obligationem juvandi pauperes suæ Parochiæ, quorum de numero est Remigius; sed etiam ratione scandali, quod præberet nimis rigore exigendo Decimas, dum scilicet inordinatum erga bona terrena affectum monstraret. *Nullus Sacerdotum Decimas cum lite & jurgio suscipiat, inquit antiqua Synodus Turonensis; sed prædicatione & admonitione.* *Pontas.*

NOTA. Exigendæ & acceptandæ etiam a paupere, ne præscribatur immunitas; sed dein ex misericordia in totum vel in partem redondandæ.

CASUS V. Henricus decem jugera reliquit inculta ex defectu sementis. Parochus autem exinde spoliatus Decimis, porrecto Judici supplici libello obtinuit, ut sibi liceret duo ex his jugera colere, unum in compensationem Decimarum, alterum in compensationem expensarum. Parochus utrumque colendum tradidit Henrico, ea conditione, ut huic pro suo labore cederet dimidia fructum pars. Sed tempore messis prætendit Parochus, prius subtrahendas pro se esse ex utroque jugero Decimas, ac dein primum fructus esse dividendos: Henricus vero dimidiam partem sibi petit integram, & a præstatione Decimarum liberam.

¶. Conventio hæc Parochum inter & Henricum potest considerari vel in ratione locationis realis, vel societatis, vel locationis personalis seu operarum. Si habet rationem locationis realis, Parocho nullum competit jus Decimas colligendi ex his duobus jugeris; cum nemo possit decimare suum proprium bonum. Si consideratur sub ratione societatis, iterum non possunt exigi Decimæ; quia in contractu societatis lucrum & damnum æqualiter partiuntur socii, quod in hoc casu non fieret: Parochus enim præripiendo Decimas suam portionem auget, & alteram Henrici diminueret. Si denique conventio hæc spectatur in ratione contractus, qui dicitur locatio operarum, nec sic quidem absque injustitia possunt exigi Decimæ ex duobus jugeris; quia detraheretur Henrico promissum pro industria ac labore salarium, nempe medietas percipiendorum fructuum. Adde, Parochum sic recepturum omne id, quod percepisset, si Henricus ipsemet seminasset agros suos. Praxis huic responsioni contraria, siqua viget, prorsus reprobanda est. *Pontas.*

CASUS VI. Methodius Parochus, qui e suo Beneficio singulis annis percipit 1000. florenos, & totidem ex bonis patrimonialibus, jam prope a viginti annis negligit quasdam Decimarum sibi debitarum species, easque vel ex generositate vel ex charitate ultro condonat illis, qui eas præstare tenerentur. Parochi vicini eum propterea reprehendunt; eoquod tali modo Parochiani contra ipsum aut ejus successores præscribere possent.

¶. Merito reprehenditur Methodius; non enim tali præscriptioni tuta conscientia ansam præbere potest, cum jus colligendi Decimas non tam ad ipsum quam ad Ecclesiam, & consequenter ad successores ejus pertineat, in quorum præjudicium agere non potest: neque licet ipsi Decimas donare cui voluerit, cum sit tantum dispensator bonorum Ecclesiæ;



& consequenter eas applicare tenetur in subsidium pauperum. Si Methodius ex motivo charitatis pauperibus condonare velit Decimas, ab iis exigendum est testimonium scriptum, quo testentur, sibi ex misericordia mere gratuito condonatas fuisse Decimas, ut hoc argumento se suosque successores muniat contra jus præscriptionis, quod fors aliquando allegare possent. Alexander III. sub pœnis gravissimis prohibet, ne Prælati Decimas Ecclesiis suis debitas permittant laicis: *Statuimus, inquit, ut si quis alicui laico in sæculo remanenti Ecclesiam, Decimam, oblationemve concesserit, a statu suo sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, suscitatur, & donec emendet dolore, suæ jaceat ruinæ prostratus.* Decimæ, quæ in quibusdam provinciis præstantur, ut sunt lana & agni in Normandia, præscribuntur tempore 40. annorum, nulla habita ratione ad plures alios fundos parochiæ, ex quibus Decimæ actu solvuntur. Ita judicatum in Parlamento Rothomagenfi 1666. *Pontas.*

CASUS VII. Odoardus emit decem jugera agri pecunia ex furto, usura, aut alio hujusmodi turpi lucro comparata.

¶. Parochus ex fructibus hujus fundi potest colligere Decimas, etsi sciat, quo pretio ab Odoardo sit comparatus: fructus enim hujus fundi sunt donum divinæ providentiæ, quæ fertilitatem confert agris; & proin ex iis debentur Decimæ. *Si aliquis ager, inquit, S. Thomas, sit emptus de usura, de fructu eius tenetur usurarius decimas dare; quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere. . . . Tamen Ecclesia, addit S. Doctor, non debet eas recipere, quamdiu sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare; sed postquam penituerint, possunt ab iis de his recipi Decimæ.* *Pontas.*

NOTA. Subtilis hujus consilii, prudenter quidem suggesti, nullam tamen rationem habendam esse videtur respectu hominis adeo perversi, ut ex hac religiosa abjectione Decimarum induci posset ad perseverantiam in injustitia, ne & deinceps Decimæ exigantur.

CASUS VIII. Philogonus Dominus territorialis Parochiæ cujusdam est in possessione recipiendi ex fructibus Vasallorum suorum partem sibi debitam (champart), antequam Parochus collegisset Decimas.

¶. Manifestam Philogonus committit injustitiam: Decimæ enim sunt juris divini; eas autem diminuit Philogonus, si partem sibi debitam sumit, antequam solutæ fuerint Decimæ. Responso hæc penitus conformis est jurisprudentiæ Gallicæ, quod patet ex pluribus sententiis desuper latis, ex qui-

quibus tantum quatuor adduxisse juvat. Prima est de 23. Febr. 1608. in favorem Eustachii Viole Prioris & Parochi primitivi Parochiæ de Thoifely contra Georgium de Sobrieti Dominum territorialem de Pruncaut. Secunda de 5. Julii ejusdem anni. Tertia de 9. Maii 1612. confirmatoria alterius sententiæ latæ a Seneschallo Andegavenfi 9. Febr. 1609. Quarta denique de 9. Febr. 1621. in favorem Dionysii Desnault Parochi de Belloi in Insula Franciæ contra Joannem Soiffon. *Pontas.*

CASUS IX. Narcissus Toparcha & Patronus ampliæ cujusdam Parochiæ est in possessione colligendi Decimas in quodam districtu Parochiæ, Parochus frustra reclamante, qui litem eidem intentare non audet, etsi mordicium defendat, Decimas non deberi, nisi solis personis Ecclesiasticis.

¶. Si Ecclesia Narcisso, aut Majoribus ipsius, aut iis, quos representat qua Dominus territorialis Parochiæ, concessit jus percipiendi Decimas in certo quodam districtu, tuta conscientia Narcissus utitur hoc jure; dummodo Parochus aliunde habeat congruam sustentationem. Observandum hic cum Bouchelio 1. Quod secundum jus Gallicum possessio etiam immemorialis non sufficiat, ut a laico possit præscribi jus Decimarum, saltem nisi fundetur in legitimo titulo. 2. Quod Decimæ in feudum laicis concessæ ante Concilium generale Lateranense tertium celebratum sub Alexandro III. 1179. iis quidem legitime debeantur, sed quæ in feudum iis concessæ sunt post illud Concilium, debent Ecclesiæ restitui, quin ad eorum hæredes aut alios quoscumque quavis alienatione transferri possint. *Pontas.*

NOTA. Hæc Pontasii observatio ex Bouchelio haud admodum exacta est, quia hodie juxta Duperrai pag. 475. & Dunod pag. 24. infeudatio Decimarum probatur per clientelam, fidem & homagium una cum possessione centenaria. Aliud foret, ait Dunod pag. 119. si constaret, Decimas post Concilium Lateranense fuisse Ecclesiasticas. De Decimis laicalibus legi meretur Dissertatio P. Calmet, quam inseruit suæ Historiæ Lotharingicæ. Dantur enim laicales antiquiores Ecclesiasticis ac originariæ per modum reservati. Aliæ sunt ab Ecclesia laicis tempore bellorum sacrorum pro compensatione expensarum in beneficium concessæ ad unam, duas; vel tres generationes, vel in perpetuum; quod tamen non præsumendum, sed probandum est.

CASUS X. Wibertus Dominus feudi in loco quodam possidet jure proprietatis quasdam Decimas infeudatas, quas vendere vult cuidam privato, qui eas reperit sibi utiles.

¶. Tuta conscientia potest eas vendere, cum ejusmodi Decimæ sint hæreditariæ & laicæ. Hoc solum observandum est, quod si eas vendat personæ Ecclesiasticæ, ejus propinqui non gaudeant jure retractus; quia sic Decimæ infeudatæ



fiunt Ecclesiasticæ, suamque primævam naturam induunt. *Pontas.*

CASUS XI. Laici in Gallia habentes decimas infeudatas, num possident eas legitime?

R. Si eas possident a tempore immemoriali, possident eas legitime; sufficitque, si ex antiquis instrumentis aut aliis actis similibus probare possint infeudationem. *Fromageau.*

### DECOCTIO ÆRIS ALIENI.

1. Tripliciter sumetur decoctio æris alieni (Banqueroute). *Prima* est malitiosa & fraudulenta, eorum scilicet, qui mala fide ex bonis creditorum suorum ditescere cupiunt. *Altera*, quæ ex defectu sufficientis peritiæ circa negotiationem aut ex inconsulta agendi ratione accidit. *Tertia* denique, quæ ex adversa fortuna & calamitate temporum, absque culpa debitoris evenit.

2. Prima severe punitur, quandoque etiam poena mortis aut alia poena afflictiva v. g. condemnatione ad numellam aut ad triremes. Tales ad instantiam creditorum in carcere detineri possunt, usque dum integram solutionem præstiterint, nisi iustitia ipsis beneficium cessionis bonorum indulgeat, aut profecta ætas eos eximat.

CASUS I. Mercator in Commercio suo ad incitas redactus cedit omnia bona sua creditoribus; sibi tamen reservat summam 6000, florenorum, fictum allegans debitum adscripto die antiquiore. Potestne in conscientia sibi reservare hanc summam, aut saltem fundo creditoribus relicto ejusdem usufructu gaudere, cum in hanc miseriam non ex propria culpa devenit? Præterea jacturam fecit 750. florenorum, proventuum ex bonis propriis, & 18500. florenorum ex bonis ab uxore allatis: jacturis hisce nondum perpeffis elocavit filiam in matrimonium, eique pro dote dedit 17000. florenos, ac insuper in negotia uxoris suæ expendit 7500. florenos; quin hæ expensæ ad præsentem egestatem quidpiam contulerint. Uxor præterdit, hosce 6000. florenos ratione bonorum dotalium: verum quidem est, ex bonis ejusdem 12000. florenos in commune collatos fuisse; sed cum illa minorennis esset, notabilem adeo bonorum suorum partem in communem massam injuste illatam queritur. Absque omni igitur injustitia se præfatos 6000. florenos sibi retinere posse contendit, consentitque, ut ex hac summa 1000. floreni marito cedant pro sustentatione.

R. Mercator hic non potest reservare memoratos 6000. florenos; nec uxor potest præterdere nisi necessaria ad hoc,

ut

ut cum marito suo honeste vivat. Imo quamprimum ad meliorem fortunam pervenerint, plenam creditoribus solutionem præstare tenebuntur. *De Lamet.*

NOTA. Hanc ejusmodi mercatoribus obligationem jus naturæ omni beneficio cessionis & pactione privata antè prius præscribit: nam primum obligans est creditor, qui in contractibus bonæ fidei tacite reservat, quæ verosimiliter cum assensu debitoris expresse reservasset, si de illis fuisset cogitatum.

CASUS II. Potestne mercatore ad incitas redacto unus creditorum præferri alteri? Num merces ejusmodi debitoribus missæ ad eos pertinent? En casum. Mercator cum eo devenisset, ut jam solvendo impar esset, ejus soror quibusdam creditoribus fidem facit, se perinde ac alios propinquos nil damni passuros. Postridie cuidam horum creditorum exhibetur contractus subscribendus, quo mercator duas quintas partes se soluturum promittebat; ille inconsiderate subscribit, contractusque executioni datur: postea tamen creditor iste ab hæredibus defuncti debitoris integram solutionem recepit. Jam quæritur, num id, quod ultra duas quintas partes recepit, juste aquiverit. Notandum autem, nullum unquam bonis debitoris arrestum fuisse impositum, nec eo tempore, quo solvendo impar effectus, nec postea, ac aliis insuper creditoribus integram debitum fuisse solutum. Ad hæc debitor iste a lapsu rerum suarum usque ad præstitam solutionem multum lucri tulit ex mercibus a creditoribus missis, eoquod pretium earum derepente auctum fuerit. Denique subscripto contractu uxor debitoris in absentia mariti præfato creditori schedam misit, qua indegram solutionem pollicebatur; scheda quidem solo uxoris nomine subscripta erat, affirmantis tamen, se procuratorio viri nomine id polliceri.

R. Postquam creditores declararunt, se contentos fore solutione duarum partium quintarum, augmentum pretii, quod mercibus missis insperato supervenerat, ad debitorem pertinet, qui de eo pro suo arbitrio disponere poterit, cum creditores id lucri debitori cessisse censeantur. Peccare tamen potuit debitor unum creditorem præferendo alteri fortasse magis indigenti. Licet autem ejusmodi prælatio sit illicita, non tamen invalida reddit acta in favorem aliorum creditorum. Quod attinet creditorem, de quo agitur, omnia a debitore accepta retinere potest, quin aliquid in massam referre teneatur, nisi aliud iudices statuerint. *Fromageau.* Vide *Cessio bonorum & Restitutio.*



## DELECTATIO.

1. *Delectatio*, prout fumitur in hoc titulo, potest considerari ut existens in corde & voluntate, vel tantum in phantasia & sensibus. Prior delectatio est semper peccaminosa, quandoque etiam mortaliter. Altera imaginationi inherere & sensus movere potest, quin homo ad id reflectat; & hæc peccaminosa non est, dummodo adhibeatur sufficiens diligentia ad eam reprimendam, ac etiam præcavendam.

2. Prior delectatio dicitur *morosa* a verba latino *morari*; eoquod homo eidem cum sufficienti deliberatione immoretur, etiam si id tantum fiat per tempus brevissimum. Definitur autem *morosa delectatio*, quod sit *directa vel indirecta complacentia deliberata voluntatis in animæ motibus inordinatis circa objectum illicitum non patrandum*.

3. Dicitur: *directa vel indirecta complacentia. DIRECTA* est, quæ consensum expressum & explicitum includit; *INDIRECTA* autem, quæ tantum importat consensum implicitum & interpretativum, ut si quis motus inordinatos ex delectatione insurgentes toleret, nec ocyus positive reprimat, quamprimum deberent & possent reprimi.

4. Additur: *Complacentia deliberata voluntatis*; eoquod intellectus sufficienter advertat ejusmodi delectationis malitiam, voluntasque eam non statim rejiciat, cum deberet.

5. Conventus Generalis Cleri Gallicani anno 1700. circa rem hanc promerita censura confixit sequentem propositionem: *Hinc inferre debemus, eum consensum, qui præbatur suggestionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciscenda injuria, secundum Sanctum Augustinum non esse aliud quam veniale peccatum; licet ipse ultionis actus, cujus cogitione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum*. Censura est hæc: *Hæc propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciofa, concupiscentiam fovens, in tentationem & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa Sancto Augustino*.

CASUS I. Petronius reminiscens præteritarum suarum fornicationum interdum his cogitationibus immoratur cum delectatione morosa, quin tamen ullam habeat voluntatem relabendi.

3. Si delectatio respicit ipsos actus fornicationum, fovetque affectum erga eos, est peccatum mortale: si vero tantum versatur circa aliquas circumstantias annexas actibus fornicationum, secundum se indifferentes, & ipse interim ipsam

ipsam fornicationem detestetur ex animo, excusandus est a peccato mortali. Nihilominus semper valde periculosum est immorari cogitationibus de talibus circumstantiis. Delectatio, quam D. Thomas *morosam* appellat non ex mora temporis, sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, est peccatum mortale, quando, ut in casu proposito, objectum est mortaliter peccaminosum. Si ipsum objectum non est peccaminosum, etiam delectatio circa illud non erit peccaminosa; sic posset quis delectari de modo peculiari ac extraordinario furis, qui abstulit horologium, quin delectetur de ipso furto. Denique, cum delectatio sit ejusdem speciei, cujus est objectum delectationis, in confessione exprimenda est circumstantia mutans speciem objecti; sic v. g. gravius peccatum est delectari de incestu aut adulterio, quam de simplici fornicatione. Ex quo sequitur, eum, qui pro objecto morosæ delectationis habet duas distinctas personas, committere duplex peccatum, illumque, qui ejusmodi delectatione peccat, obligari, ut in confessione explicet, se esse conjugatum, voto castitatis obstrictum &c. *Pontas*.

CASUS II. Radbertus non consentit quidem formaliter delectationi ortæ ex cogitatione de commisso a se peccato; attamen nec positive illi resistit.

3. Si Radbertus advertit, talem delectationem inclinare ad peccatum, esseque periculum in illud labendi, nisi resistat, non est dubium, quin peccet, mortaliter aut venialiter, juxta naturam scilicet objecti, circa quod versatur delectatio. *Pontas*.

NOTA. Malitia delectationis libidinose juxta D. Thomam, consistit in eo, quod inserat cordi seu potentie appetitive inordinatam inclinationem ad actum vel in se, vel quoad circumstantiam loci, temporis, modi &c. illicitum. Sicut ergo Adamo & Evæ non licuit, naturam humanam ex primæva creatione ad omne bonum propensam reddere ad omne malum inclinatam, ita etiam non licet, eam pravam propensionem seu inclinationem fovere, augere, ac magis radicare fovendo complacentiam, delectationem seu voluptatis sensationem, ex sua natura cor & potentiam appetitivam inclinantes ad actum vel modum illicitum. Si ejusmodi cogitationes hominem invadant per modum distractionis, quæ longo tempore quandoque non advertitur, præbent quidem occasionem humiliationis, non sunt autem ipsæ peccaminosæ juxta eundem D. Thomam. Remedium denique importunis hisce cogitationibus expediendi se præ cæteris efficacius non est in eo, ut directe ac adversa quasi fronte iisdem resistas, sed ut spiritum distrahās, & ad alia objecta convertas, præmissa tamen elevatione mentis ad Deum.

CASUS III. Cajus in confessione sic se accusat 1. cogitavi sæpius & cum complacentia de objectis obscænis; ve-



rum ocyus restiti his cogitationibus. 2. Habui complacentiam in aspectu formosarum personarum alterius sexus. 3. Legi librum obscœnum, & delectatus sum in elegantia styli. Num peccavit? & quœnam peccata commisit?

ꝑ. Momentum temporis, instans sufficit ad peccatum mortale delectationis morosæ. Hinc *quoad* 1. Cajus peccavit mortaliter, si cogitationibus istis deliberate consensit, quantacumque dein celeritate eas rejecerit. *Quoad* 2. Fieri potuit, ut omnino non peccaverit, si aspectus formosæ mulieris ipsi tantum fuit occasio admirandi opera Dei. Potuit peccare solum venialiter, si in ejusmodi aspectu habuit tantum complacentiam ex levitate quadam aut curiositate, quin exinde consecuta fuerit prava cogitatio aut motus inordinatus; si horum a terutrum intervenerit cum consensu formali, Cajus peccavit mortaliter. Generaliter nunquam fatis penitentibus commendari potest custodia oculorum, eorumque refrenatio ab ejusmodi objectis, ratione periculi, quod ex eorum consideratione incurritur. *Quoad* 3. Cajus peccavit graviter vel ex eo solum, quod se exposuerit occasioni proximæ peccandi.

CASUS IV. Pamphilus, sponsus cum complacentia cogitat de delectationibus in futuro matrimonio habendis, ingentique in ejusdem accelerationem desiderio fertur. Quodnam hic peccatum committit?

ꝑ. Cum delectationes, quas sibi Pamphilus representat, in statu sponsalicio eidem non sint permixtæ, etiam cogitatio de illis pari ratione est prohibita, & consequenter peccat graviter, si voluntate deliberata his cogitationibus immoratur. Neque desiderium accelerandi matrimonii a peccato excusari potest, si pro objecto habeat delectationes sensuales connubii: Aliud tamen dicendum, si ideo diem nuptialem anhelaret, ut denique a vehementibus, quibus hucusque vexabatur, tentationibus liberetur.

NOTA. Conjuges voluptatem veneream in actu conjugali habendam vel habitam animo versare, & de ea morose delectari absque peccato non possunt; istudque peccatum esse mortale, communis est Doctorum sententia. A fortiori id omnino vetitum est viduis utriusque sexus. Mortaliter etiam peccant conjuges, qui, dum actui conjugali vacant, aliam personam cogitant vel concupiscunt, vel ex desiderio aut delectatione alieni vel alienæ conjugis coeunt. C. D.

Vide *Cogitatio*.

## DENUNCIATIO.

1. In Jure triplici modo contra reos processus instruitur, per

per inquisitionem scilicet & informationem, per accusationem, ac per denunciationem. *Denunciatio* est delatio imputati cuidam criminis ad Judicem, quin tamen deferens suscipiat in se onus probandi. Unde patet discrimen inter denunciationem & accusationem; accusator namque tenetur proba e crimen, ad quod non obligat simplex denunciatio. Regulariter tamen loquendi denunciandi servanda est regula in Evangelio præscripta, ut scilicet privatim moneat delinquentem, antequam eum denunciet: dicitur, regulariter loquendo; quia dantur casus valde graves, qui promptum exigunt remedium, & in quibus omitti potest fraterna correctio.

2. Omnis denunciator deferens calumiose personam de crimine scienter falso tenetur ad expensas, & ad damnum ac interesse erga denunciatum, qui crimen suum diluit. Et eapropter Procurator Regis aut Fiscalis in hoc casu tenetur in ra triduum manifestare nomen delatoris ad petitionem accusati, postquam hic obtinuit sententiam absolutionis.

CASUS I. Posthumus certo scit, Manlium esse reum enormis cujusdam criminis, attamen occulti.

ꝑ. Si peccatum Manlii tantum nocet ipsi soli, aut soli Posthumio, hic tenetur præmittere correctionem fraternam; nec poterit immediate fieri denunciatio ad Superiorem, nisi correctio fraterna sit inutilis. Si vero Manlii peccatum tendit ad ruinam corporalem vel spiritualem proximi, & Posthumus credat, correctionem secretam fore inutilem, debet immediate denunciari ad Superiorem. *Pontas*.

CASUS II. Ponamus, Manlii peccatum jam esse notum plurimis.

ꝑ. Posthumus potest eum in hoc casu immediate denunciare ad Superiorem, omissa correctione secreta. *Pontas*.

NOTA. Si peccatum timeatur iterandum, & nocumentum vel scandalum allaturum pluribus, tenetur hoc denunciare.

CASUS III. Dioscorus sciens, suum Parochum fuisse ex improviso inebriatum in hospitio, eum denunciavit ad Episcopum, animo eum dissamandi.

ꝑ. Pessima hæc intentio Dioscorum reddit peccati mortalis reum. Denunciatio semper ex solo motivo charitatis fieri debet, ut scilicet emendetur reus, vel malum impediatur, quod ex malitia denunciati provenire potest, nunquam ex odio denunciantis. *Pontas*.

CASUS IV. Si quis commisit peccatum penitus occultum, damnum quidem asserens spirituale vel temporale proximo, sed tamen ex mera vehementia subitæ passionis, aut ex infirmi-



firmitate transeunte, de eoque statim poenituit; estne talis denunciandus Superiori?

R. Non est denunciandus, sed solum charitative & secreto monendus; saltem nisi persistat in occasione relabendi in idem peccatum, eamque vitare recuset; aut, ut loquitur S. Thomas, nisi peccatum ejus sit de genere eorum, quæ sunt infectiva aliorum, & vergunt in præjudicium salutis animarum. *Pontas.*

CASUS V. Justinianus Presbyter dum excepit confessionem Magdalene, bis aut ter eam inducere voluit ad committendum peccatum mortale; ea insuper habet grave fundamentum judicandi, quod id ipsum tentaverit cum alia persona.

R. Tenetur Magdalena in conscientia eum denunciare Superiori. *Pontas.*

NOTA. Pius IV. Gregorius XV. & nostris temporibus Benedictus XIV. legem sanxerunt hac super re severissimam. Et licet decreta horum Pontificum in Gallia non sint recepta, insititur tamen obligationi juris naturalis, quæ ubique locum habere debet. Si juxta D. Thomam datur obligatio denunciandi peccatorem, a quo possunt seduci plures alii, etsi nec sit Sacerdos, nec Confessarius; quanto magis idem dicendum de Sacerdote, qui ex vocatione sua a Christo imposita fideles ad portum salutis ducere deberet, eos sacrilega sua impietate in inferni detrudat barathrum. Verum Superiorum est summa cum discretionem ponderare, ne fatali ejusmodi casu emergente ex assertionem unius aut duarum simulatæ devotularum vir bonus inique prostituatur & condemnetur, ut olim ad perditionem Susannæ duo senes suffecissent, ni Deus illustri miraculo ipsius comprobasset innocentiam.

CASUS VI. Titius solus scit, Antonium inter & Bertham subesse impedimentum affinitatis ex commercio illicito. Teneturne denunciations matrimonii audiens, Parocho declarare hoc impedimentum?

R. Per se loquendo tenetur; quia, dum agitur de malo gravi evitando, aut peccato impediendo, quilibet tenetur manifestare causam mali, maxime si superior id auctoritas exigit: quis autem non videt, quantum malum sequeretur ex matrimonio cum impedimento dirimente contracto. Titius ergo tenetur Parocho denunciare notum sibi impedimentum, etiamsi probare non possit. Dicitur est, per se loquendo; si enim prævideat, partes contrahentes ex secreta & charitativa admonitione ad petendam dispensationem permotum iri, aut si timeret, ex publica denunciatione occulti criminis gravia mala esse oritura, secundum opinionem communiorum non teneretur ad denunciandum, *Gi-*

*rib.*

*rib. de denun. n. 45. & 48. Boss. c. 7. n. 173. & 159. Palao punct. 13. §. 6. n. 5. C. B.*

NOTA. Teneretur saltem per Literas *cacas* monere personam ream pro petenda dispensatione, nisi pie consideret, id factum aut faciendum esse absque sua monitione.

CASUS VII. Confessarius quidam mittit alteri Confessario chartam clausam, tradendam scemine cuidam, cujus confessiones excipit; in hac charta sollicitatur scemina ista ad peccatum. Alter ille Confessarius nesciens, quid contineatur in charta, eam tradit prædictæ scemine ad confessionem accedenti. Suntne denunciandi hi duo Confessarii?

R. Non sunt denunciandi; quia neuter talis sollicitationis reus est, quæ exprimitur in Bulla Gregoriana & Benedictina. C. B.

NOTA. Licet talis Confessarius non teneatur seductorem denunciare vi Bullæ Gregorianæ vel Benedictinæ; si tamen non foret aliud securum medium præcavendi seductionem hujus vel aliarum personarum, teneretur ad hoc lege naturali & divina.

CASUS VIII. Scemina quædam ad se vocat Confessarium suum ob aliquod negotium nullam habens relationem ad confessionem. Confessarius opportunitate occasionis allectus eam sollicitat ad peccatum. Estne vi Bullæ Gregorii XV. denunciandus?

R. Non est denunciandus; quia in hoc casu sollicitatio fit nec occasione nec prætextu confessionis. *Puteob. de poenit. C. B.*

NOTA. Observandum, quod dictum est Casu. 7.

CASUS IX. Confessarius in confessionali sollicitat poenitentem ad actus inhonestos, qui ex se ipsis sunt tantum peccata venialia. Teneturne poenitens eum denunciare?

R. Tenetur. 1. Quia licet actus ejusmodi videantur in se tantum venialiter peccaminosi, ex circumstantia tamen fiunt graviter peccaminosi, ratione abusus ac profanationis Sacramenti. 2. Quia ex signis etiam leviter dumtaxat in se inhonestis facile in Confessario proditur animus progrediendi ad ulteriora. C. B.

CASUS X. Scemina accedit ad confessionale Lucii, qui ex sacro tribunali sic eam alloquitur: vade & confitere alteri: captus enim tua pulchritudine, & conscius infirmitatis meæ lapsum timeo, si mihi confitereris. Teneturne scemina denunciare hunc Confessarium?

R.